Hilarius


Aquila Polubinziana.

AQVILA
POŁVBINIANA

SAGITTATIS SAPIEHARVM
Lucidis Oginsciorum Crucibus munita:
In
Illustri Wołodkowiciana Domo
nidificans
Ad Solennem Nuptiarum diem Illustrissimi ac Magnifici Domini,

**D. ALEXANDRI HILARII
POŁVBINSKI DVCIS A ŁVBNO,**
Parnauiensis Palatinidæ, Succamerarii
Słonimensis, Capitanei Rudobielscensis,
Cohortium hastatarum S. R. M. Præfecti.
& Aulici dignissimi.
Et Perillustris ac Magnificæ Dominæ,
D. SOPHIÆ WOŁODKOWICIÆ,
Illustris & Magnifici Domini

**D. CHRISTOPHORI WO.
ŁODKIEWICZ NOTARII**
Terrestris, & Aduocati Minscensis,
&c. &c. Natæ.
Obseruata.
Orbique Sarmatico
Æra Christi
ArMa DeCent te sponse, LIbrI,
te sponsa vLtores
A. M. Ioanne Dziedzic Artium
& Philosophiæ Doctore
monstrata.



IN AQVILAM
POŁVBINIANAM
VEXILLO WOŁODKIEWICIANO Adornatam.

Fortiter & pugnas, & non, generosa volucris,
Ballaque sæua geris, nec quoque bella geris,
Pugnas, bella geris, validos dum viribus hostes,
Prosternis Alis, concutis & pedibus
Bistonias Alis Lunas, Sueticosque Leones
Kozakos pedibus, proteris atque Scythas
Non pugnas, nec bella geris tunc quando futura
Semper amica Tuo pectore signa foues
Wołodkiewicii gremio vexilla receptas
Et Radwanorum nobile stemma capis,
Fœdera cum bello iungis, cùm fœdere bella
Bella volunt hostes fœdera sponsa ferit,
Tractat Bella Mauors, Hymenæus fœdera sancit
Tympana Mars pulsat, pulsat at iste fides
Quid mirum, quòd vtroque Deûm comitata volu-
Mars Bellatori, seruit, Hymen Thalamis. (cris?

Illu-

Illustrissimo & Magnifico Heroi Domino D. ALEXANDRO HILARIO POLUBINSKI, Duci à Lubno, Parnauiensi Palatinidæ, Succamerario Słonimensi, Capitaneo Rudobielscensi Cohortium S. R. Maiest: Præfecto & Aulico longè dignissimo Domino & Mecœnati amplissimo.

Aquilæ conspectus Genti quondam Togatæ Romanorum, fœlicitatem augurio inducebat Dux Illustrissime. Idque eò magis, quò volantem, & non sedentem conspicati fuerant. Sedentem enim etiam & imbelles Aues infestare consueuerunt; volantem verò & potentiores fugiunt, & vt Reginam suam reuerentur. Gentilitiam & ego quoq; Tuam cùm conspexi, non sedentem, sed ad Augusta Tui Hymenæi Solennia volantem Aquilam: Quam hinc, & cui fœlicitatem ominari debeam, haud possum coniicere Fortunatum me, inprimis, quòd per sublimia Virtutum suarum plurimis ab annorum Centuriis volantem per æthera, cæcutiente animo mihi fas contueri fuerit! Fortunatiorem Te, Cui talem sortiri contigit! Fortunatissimam illustrem Wołodkowiciorum Domum, quòd apud se Nidum quæsiêrit, inuenerit, elegerit, collocauerit. Potentissimus ille Epirotarum Rex Pyrrhus (si ingenioso Pierio credimus) in Nummis exprimebat Aquilam, sub pedibus suis Fulmen continentem, & pedibus calcantem. Tua non iam Fulmen, sed Fulminis ipsius gestatores, hereditarios Nominis nostri hostes Scythas, ac Kozakos perduelles, pedibus calcat, vnguibus diuellit. Cùm pro Polonia (quàm vix iam fortè inuenias in Polonia) Patria Tua carissimâ fortunatus velut aliquis Agamemnon Tuum generosum opponis pectus. Et quamuis Belli Deus Mauors, non nisi ad bella exercuerit, non nisi armatam Soleâ Cruceq; contra hostes instruxerit Tuam Aquilam: tamen iam modo ipsius Martis Arma ferrea contra hostem in Aurea, vel Laurea erga sponsam dum quoq; pectori insigne Wołodkowicianum suo inscripsit, lætus Hymenæus transformauit. Demiserat aliquando, vt solers testatur Plinius in sinum Liuiæ Drusillæ, quæ postea Matrimonii nexu Augusta vocata ramum Lauri baccis onustum Aquila, Velut sapiens Plutarchus meminit, Telum Amphiarai ab Aquila in sublime raptum, in terram delapsum cessisse in Laurum. Veriùs hoc vtrumque de Tua dixerim Heros inclyte Aquila: quæ in sinum verè Augustæ Sophiæ Wołodkowiciæ sponsæ Tuæ lectissimæ, virentes & mediâ hyeme affectus coniugalis Lauros baccis nuptialibus onustas demittit: Telumque in sublime orbitatis Tuæ nuper raptum, in Domum inclytam Wołodkowiciorum delapsum, cedit in Laurum. Ergo hanc, quia Tuam Tibi offero Aquilam, & dum offero literario quoq; munere Te compellare, ne vacuis ad Te veniam manibus; id enim nefas ducebat antiqua pietas gestio. Scio Marti Tuo Armis, non Libris, Viris non Musis opus esse potiùs. Nam ad Arma forte mox conclamabit: Hymenæus tamen Tuus, vt modo Arma silerent, Libri loquerentur Viri quiescerent Musæ Epithalamia præcinerent multos Apollines solicitauit. Sub Tuis igitur, auspiciis iam lucis publicæ, solis quasi radios irreuerberato intueatur oculo, Tua, à me euocata Aquila, Etsi Aristarchorum impetatur morsibus; Tu me patrocinio Tuo complectere & illam prudentiâ solitâ tuere obnixè precor. Intra Oginsciani Musæi parietes Vltimâ Ianuar. A. D. 1653.

Illustrissimæ ac Magnificæ Dominationis Tuæ
Fidele Mancipium
M. Ioannes Dźiedzic P. D.

AD SacratosTui thalami Hymenæos, & mea vota Tibi fundere mens mihi eſt Dux Illuſtriſſime. Niſi quòd bellicus tympanorum vlulatus,equorum hinnitus, fulgor armorum, quibus Tu omnibus inter decumanas Bellonæ tempeſtates, aſſuetus, & pridem iam es, interturbet meum animum Geſtiunt meæ Camœnæ ad publicum lætitiæ Nuptiarumque Tuarum ſolennem applauſum, quidpiam felici Apolline ludere; ſed eas ſagatus Mauors,in conſpectum Tuum venire ſuo vultu prohibere videtur. Et quidni videatur?Habent hoc quidemMuſæ cum Marte diſſidium,vt [a] rarò aut nunquam, vbi Martis Claſſicum canitur, pariter & Muſis otii, & tranquillitatis amicis canere iura ſinant. Quia tamen ſemper [b] Laurea comitata Muſis, & Toga ſepta Armis magis refulgere conſueuit, iam non tantùm Martia tympana bellicæque tubæ apud Te,ſed Apollinis quoq; Chelys Muſarumquè tibiæ ad magnificū Auguſtale Tuum ſonare debent. Ipſe enim quoquè iam Tuus diu in bellis exercitatus Gradiuus, nūc in ſocialis coniugii thalamo cicurandus ſperatur. Et licet me non lateat haud facilè eſſe eò Muſarū chorum ſiſtere, vbi Cytherea Dea latè ſuum extendit imperium; ([c] Pòëtæ enim & quidē ſapienter. vt ait facile Princeps Oratorum Muretus,cùm omnes Deos,Deaſq;

[a] Chriſt. Vaſ ſeuicius Turcica 3.

[b] Idem ibidē

[c] Ex Panegyrico Laurus immortalis.

Deæ Cythereæ imperio ſubdidiſſent, in Mineruam & ſtudiorum Præſides Muſas, nil ei, nil Cupidini iuris eſſe voluerunt) tamen cùm ipſe efferatus Belli Deus Mars, cum Hymenæo Nuptiarum Deo perpetua ineat fœdera; & ipſe Heliconis Alumnæ, vt cum Venere anniuerſarias vtrinquè faciant inducias eſt neceſſe. Agite ergò meæ Camœnæ, iam pene Enthuſiaſmo (quia nec legiſtis nec ſcripſiſtis) deſtitutæ, ac inter Bellorum Claſſica, buccinarumquè cantus, inter POLVBINIANA tripudia, veſtra Epithalamia præcinite. Hîc Veſtra probate pectora: & dum non florida renaſcentis veris recreant incunabula, ſed graſſantia hyemis terrent frigora; non dulces auium querelæ, vocumq; reſonant certamina; ſed alta depulſæ gelu volucres ſeruant ſilentia; non gemmantia, ridentiaque; ſed præ algore gementia, rigentiaq́; omnia conſpiciuntur; dumq́; non vernantia prata, non vireſcentia arboreta; non horti florum opulentiâ intumeſcentes luxuriant; ſed rauco ſæuoque Aquilone Aéra mugiunt ac hibernæ minæ ſæuiunt: vos inquam plauſum date. Silent dum modò äérèi choraulæ, vos occinite: Non applaudit noua telluris pubes; vos acclamate: Non admurmurāt ſolutæ frigoribus fontium, fluminumque Nymphæ; vos dulce leni blandoque modulatuum veſtrorum ſuſurro melos fūdite. videbitis hîc POLVBINIANAS Aquilas, & quidē ſoleatas: Haurietis ve-

ſtris

ſtris obtutibus Raduanos ſeu vexilla Wolodkouiciana. Illius vt Neoſponſi amantiſſimi; iſtius vt Neoſponſæ lectiſſimæ. Quid verò illorum, qui ſe Polubinianæ domui cognato iunxerunt ſanguine ampla decora; nonne ſuſpicietis? ſtupebitis me herculè Cruces Sagittatas Sapieharum, lucidas Oginſciorum, illas vt Auunculi, has vt Sororii affiniſque antiquiſſimi. Applaudat igitur iam meæ (quæ errabunda, & quæ inconſulto mihi excidit) eloquentiæ beneuolentia eorum, quorum hîc Nomina an potius Numina? luci publicæ conſecrātur: meque non olorinis aures demulcentem cantibus, ſed anſerinis obſtrepentem vocibus coram ſe Laconicè loqui patiantur.

Perauguſta illuſtrium Heroum inſignia, [d] nil aliud eſſe, niſi literas, quicunque dixit, ſapienter mecaſtor dixit Dux Illuſtriſſime. Quemadmodum enim Literæ monſtrant nobis omnium rerum incunabula atq; myſteria; ita inſignia, omnium geſtorum mon ſtrant exordia. Literæ, ne diuinarum humanarumquè rerum Lethæis abſorbeatur fluctibus ſcientia, nèque inuidioſâ aboleatur vetuſtate efficiunt; Ne inſigniter quoque & cum laude rerum geſtarum mater annorum euaneſcat gloria efficiunt, & præſtant inſignia. Procul iam hinc illæ voces.

[d] Petrus Gregorius Toloſanus lib: de Rep: 6. cap. 16.

[e] Stemmata nil faciunt, nil prodeſt Sanguine longo Cenſeri, & pictos Maiorum oſtendere vultus.

[e] Iuuenalis Satyra 8

Procul & aliæ. Ipſi enim quoque ſu-

peri,

peri, quos ſuperſtitioſa coluit antiquitas varii varia ſibi affinxerant, & effinxerant inſignia. Princeps ipſe Deorum Iupiter fulmen; procelloſi Præſes æquoris Neptunus Tridentem; Arbiter Armorum Gradiuus Frameam; Pharetrâ grauis, ſpolioque Leonis Hercules Clauam; Ipſe denique poculorum Miniſter Bacchus Thyrſum pro ſtemmate geſtâſſe ab ingenioſis vatibus celebratur. Quid verò dicam de gentibus? *g* Pernices Scythæ Fulmen; Religioſi Galli, olim Bufones, nunc Lilia; fortes Romani Aquilam; infidi Perſæ Arcus & pharetram, Impii in ſuos Monarchas Angli Leones & Roſas; *h* Moſchi gens vetuſta, & ſui ſemper ſimillima in vna parte imaginem hominis nudi equo ſine ſella inſidentis, haſtâque Draconem tranſuerberantis, à tergo verò Aquilam bicipitem, vtroque Capite coronatam; Vicini Sueci Leonem erectum aureâ facie, caudâ verberantem tergum; animoſi quoque Scoti Rubeum Leonem; Fædifragus Chriſtianoque nomini inhians Turca, Lunam, *i* Barbari Gotti Vrſam, inhumani Cymbri Taurum, ſuperſtitioſi Alani Catum, aliique alia pro ſtemmate geſtabant, ac geſtant inſignia. Sed quid mihi externis cum gentibus, veſtra Equites Poloni & Lithuani contueamini inſignia. Quorſum illæ apud vos acres Topororum Aſciæ? Quorſum nodoſæ Naleciorũ faſciæ? Quorſum Lubiniorum acutùm cernentes fer-

ro

f Ioann. Rauiſius Tomo primo de Deorũ inſignibus

g Idem ibidem Gentis inſigniis.

h Tholoſanꝰ ibidem vt ſupra.

i Matthias Strycouiꝰ lib. 2.

ro terebrati bisontes? *k* Quorsum (missis omnibus innumeris) denique ipsa Polonorum Regum à Lecho Principe Poloniæ data Aquila? *l* Quorsum olim à Palæmone, Columna; à Iuliano Dorsprungo Centaurus; non verò ita pridem à Norimundo Magnis Ducibus Lithuanorũ Eques armatus stricto Ense hostem persequens, vulgò Pogonia donatus in ceris vsurpari cæpit; nisi vt ex his aliisque insignibus, tanquam ex Literis viua quondam à maioribus gestarum rerum memoria ad exemplum posteris legeretur, ad imitationemq; colligeretur. Tuam ego quoque soleatam Aquilam, dum meis obtutibus contemplor Dux Illustrissime, videre mihi videor illa, quæ hominum superant memoriam, viuis quibusdam imaginibus, expressisque & non adumbratis signis descripta, in ea elucescere. Hæc est illa Aquila, quæ Romanum Imperium Orbis caput, virtutum domicilium, sedem sapientiæ pro nido habuit: Hæc est illa Aquila, quæ in splendidissimis potentis ItaliæRegnis educata, tandem in Lithuania (*m* quàm si ex magnitudine æstimare velimus, est amplissima: si ex hominibus ii eo sunt numero, qui bellicosissimi apud omnes sunt habiti: si ex Ducibus illi tales fuerunt, qui è suis sedibus à Polonis exciti, Regnum apud Polonos centum octuaginta octo annis serie continuâ obtinuerunt, Summâ Polonæ, Lithuanæquè ipsius Reip. gloria)

k Cromerus lib. 2.

l Albertus Koialowicz in Historia Lithuana

m Matthæus Piskorzeuius in funere Sig. Aug.

ria)

riâ) adoleuit gloriosè: Hæc est demum illa Aquila, quæ Ducali orta sanguine, non nisi purpuratis clarissimorum Ducum Mitris incubans ad hanc diem vsque felicissimè viget, atque propagatur. Quem enim mortalium latere vnquam potest, *n* hanc Aquilam Tuam Gentilitiam ab ipso Publio Libone siue Palæmone, Duce Hetruriæ, Viro bellicosissimo ducere originem: Qui inquam Palæmon, in bellis, quæ plurima gessit fortunatè, confecit fortunatissimè, hanc ipsissimam in signis militaribus Aquilam circumtulit; Tibique pro hereditario insigni ô Diuûm Domus POLVBINIANA æternùm circumferendam reliquit. Annosa est fateor: Nam ipse ille Heros fortissimus *o* Libo Publius, siue ob intestina bella, siue ob persecutionem Iulii Cæsaris, siue quòd pulsus Hetruriâ, vt flos Historicorum *p* Florus asseuerat, cùm alias sedes quærere coactus esset, Orbis 3897. vrbis conditæ 706. ante Verbum incarnatum 48. in has rigidi Aquilonis plagas, cum sua Aquila, non tam ventorum vi, quàm Fortunæ potiùs ipsius afflatu cum quingentis sociis, natalium prærogatiuâ Principibus velut alter pius Æneas appulit, ac his in oris Lithuanicis pacatissimè conquieuit. *q* Hîc excitatis tumultuario opere munitionibus, præsidia imposuit; vt incolarum impetus, si fortè vim hostibus nouis admouerent, securius sustineretur.

n Ex Panegyrico Nowy Konstantynopol.

o Carion Lib. 2. Monarch. 4 ætat. 2 vt refert Strykowski lib. 3.

p Lib. 4.

q Koialowicz lib. 2

retur. Humanitate deinde, cæteriſque pacis artibus, ad vicinorum animos pertentandos, conuersus, facilè perfecit, vt æquo ſecum iure agros ab aduenis coli, haud grauatè, & abſque iniuriis paterentur; omnique belli iure in eos abſtinerent. Iam creſcebat in dies potentia, iam valida, iam vicinorum cuiq; par erat, neque tamen conualeſcentes in vicino alienas opes, quiſquam Lituanorum, aut tanquam ſuſpectas formidabat, aut tanquam hoſtiles oppugnabat. Ingenio enim, agendique dexteritate ita vtebatur Palæmon, vt res ſuas domi ſatis firmatas haberet, & apud ſocios extra inuidiam & ſuſpicionem. Cuius virtutem incredibilem, cùm non ſolùm admirari, verùm quoque imitari tunc Lituana ſine Deo Gens geſtiret, eundem mortuo ſuo Principi communi omnium ſuffragio ſubrogauit. Tantũm virtus etiam apud ignotos & barbaros admirationis, & dignitatis tunc habuit! Atque ſic iam Liboniana olim, vel potiùs Tua nunc quaſi poſt Libonem POLVBINIANA Aquila, in ſublime honoris faſtigium euecta ſub hoc Lituanorum climate, alas ſuas fortunatè cæpit expandere, fœtumque nonniſi ad virtutis ſolem probatum effundere. Quotquot enim numerantur illi antiquioris ſæculi Borci, Speræ, Cunaſſi; quotquot numerantur Kierni, Gimbuti Cunaſſidæ; quotquot numerantur Ziuibundi, Montui-

lones Troynati, Lubarti, Boryſi, Algimundi, Ringoldi, Mendogi, Trabi, Narimundi, Vitenes, aliique ſexcenti Magni Duces Lituaniæ; omnes illi iſtius generoſæ Aquilæ ſunt fœtus genuinus. Ipſe quoque Gediminus Vitenis, Olgerdus Gedimini filius, hanc Vnicam Parentem Aquilam ſuam fuiſſe recognoſcunt. Liceat mihi verò nunc Tuam numeroſam, ſed beatam prolem maſculam Magne Dux Lituanorum Olgerde recenſere: Liceat illos duodecem Tuos Natos, acſi duodecem Lituanicos Apoſtolos, haud inuitâ Mineruâ percurrere. Tui fuerunt [r] ex Vliana Vitepſcenſium Duce ſuſcepti ſex filii: Volodimirus Kiiouienſium Dux, è quo deinde genitus Olelko, ſeu Alexander Slucenſiumque Ducum Familiam inchoauit. Ioannes Zedzeuitus Dux Podoliæ. Simon Linguieneius ſeu Languinus, Dux Mſciſlauienſium, Andreas Wigundus, à quo Trubecenſibus Ducibus genus eſt, Conſtatinus Dux Czernikouiæ; è quo deinde Czartorienſium Duces prodiere, Theodorus Lubartus, Sanguſzkorum Parens; à quo Kouelſcii & Koſzyrſcii Duces: Tui ſunt alii quinque præter Iagelonem ſuſcepti è Maria Tuerenſis Ducis Filia; Skirgello, Swidrigello, Korybutus, à quo genus ducunt Zbaraſcii, & Wiſniewieccii Duces; Demetrius Koreciorum Ducum Parens; Vigundus, qui ſuſceptis ritu Rutheno Chriſtia-

[r] Idem lib. 3

nis

nis ſacris, Baſilius, & Paulo poſt Alexander, cùm ad Romanos tranſiiſſet dictus fuerat Dux Seueriæ ac Kiernouiæ. Beatum Te Magne Olgerde tantâ, tamque numerosâ fæcundum parentem prole! Porro Dux Illuſtriſſime inter tot, tantaque Heroum Numina, & tua ſibi nidum Aquila collocauerat: Tuæ namque Proſapiæ genus ab inclyto illo Andrea Wigundo ducit incrementa. Quem tametſi inſtabilis fortuna minorem fecit Iagelone; Natura tamen Parens optima æqualem prodidit genere. Ab hoc igitur inclyto Ducalique ſato ſanguine viro, Illuſtris Maiorum Tuorum deriuatur propago. Hinc illi duo Theodori Parens & Filius: Hinc ipſius Filii, Andreas vulgo Fiedorowicz, qui primus titulum Ducum Lithuaniæ; in Ducatum à Lubno cummutauit: & cum titulo ſigniſque Ducalibus Kiouiæ in æde Diuæ Sophiæ penes cognatum ſuum Volodimirum, Olgerdi verò primogenitum, in ſtructo de marmore Mauſolæo pia oſſa depoſuit. Hinc ille Lithuanis, Polonis, ac exteris gentibus animi ſui dexteritate, nouoque Ducali titulo natus Lochuinus; Hinc Ioannes Polubinski Marſchalcus M. D. L. Palatinus Nouogrodenſis, dignus & vtilis Reipub. Senator, cum ſeptem bellicoſiſſimis Filiis, digniſſimis in M. D. L. Viris: inter quos Alexander Caſtellanus Nouogrodenſis alter Scipio veſtræ inclytæ

Ex Panegyri. Nowy Konſtantinopol.

C Fami-

Familiæ extitit. Hinc ad extrerum alter Alexander Auus tuus, Illuſtriſſiimique Tui Parentis Parens inclytiſſimus Succamerarius Lidenſis, Capitaneus Wilkienſis progeniem ſuam traxit gloriosè. Vides iam hîc Heros Magnanime, cum quibus Tibi cognationis, Maioribuſque Tuis intercedat vinculum; dum Czartoriſcios, Sanguſcios Kowelſcios, Koſzerſcios, Zbaraſcios, Wiſniewiecios, Korecios, alioſque innumeros Duces eiuſdem ſtirpis adæquas ſanguine. Vides Aquilam Maiorum Tuorum dignam extitiſſe Regali toro Aquilæ Sarmaticæ: Cùm Gediminus, ille qui Poloniam ipſam ſæpe debellauit, Aldonam filiam ſuam, Annam poſt nuncupatam, Caſimiro Principi Loctici Kojalowicz lib. 3 Filio deſponſauerat, ac dotis vice viginti quatuor millia Poloni nominis captiuorum donauerat. Quamuis autem tot gentilitii ſplendoris ornamentis ſatis hæc generoſa Ales illuſtris fuerit; illuſtriorem tamen ſe fore augurabatur, ſi inter Chodkiewiciorum Wolouiciorum, Lubomirſciorum, Baranouiorum, Ligezarum, Lacciorum, Kmitarum, Naruſzeuiciorum, Tyſzkieuiciorum, Maſalſcorum, Sokolinſciorum, Stadniciorum, Korſakoorum, aliarumque Principum in Regno Pol: ac M. D. L. Familiarum inſignia ſe ſuumque amicum pectus, inſereret. Nihil iam hîc loquar de præclarè geſtis Maiorum Tuorum: nihil de Libonianis ſeu Palæmo-

læmonianis: nihil de Vitenianis, Gediminianis, Olgerdianis dicam trophæis, quia hæc vt antiqua, ſic ea ipſa teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, Magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis loquitur, & loquetur æternùm Hiſtoria. Illuſtriſſimus ille Auus Tuus Alexander, verè Macedonianus Deum immortalem, quæ & quanta ille pro aris & focis, pro patria, pro incolumitate Ciuium ſtupenda non geſſit? Senſit ipſum ampliſſimum illud Imperium, quod, ad tria milliarium millia in longitudinem, ad mille quingenta in latitudinem protenditur: ſenſit inquam ab ipſo deuicta Moſchouia. *t* Cùm enim depopulatum Liuoniam nobiliſſimam Prouinciam quinquaginta Moſchorum millia ferè inuaſiſſent clauum imperii Poloni Diuo Sigiſmundo Auguſto haud infeliciter moderante; Auus hic Tuus glorioſiſſimus exiguâ ſatis manu militum, ad Mariæburgũ ſe illi oppoſuit; bis cum eo conflixit; & conflixiſſet amplius debellaſſetque; niſi vniuerſi turpiſſimè ex acie ſeſe ſubtraxiſſent. In quo tamen bello pluſquam quadringenti Moſchorum interfecti ſunt, vnuſque præcipuus Dux exercitus, Iuanus Kniaz, illorum vernaculâ linguâ, captus ac Regi cum plurimis aliis captiuis per Gregorium Tryzna Marſchalcum Lithuaniæ, Vilnã miſſus fuit. De Parente verò Tuo Conſtantino inclito quid dicam? Hic in ſapientiſſimis exterarum

t Matth. Strycouius lib. 25 Anno 1560

D. Descriptio Livonie.

nationum Palladis Gymnaſiis enutritus, ad aulam ſe contulit: Hîcque non diu commoratus Caſtra, Martis ipſius Scholas petiuit. Hîc quàm ſe ſtrenuè geſſerit, ipſi illi conſilio Vlyſſes, manu Achilles Polonici, ac Lituanici Carolus Chodkiewicz in Liuonia, Zolkieuius in Podolia, Sigiſmundus denique tertius Rex noſter, in Moſchouia, quæ ab omnibus expectauit, in hoc ſolo ſpectauit. Ob quæ ſua in Patriam merita, & egregia facinora, iam Senatoriâ dignus authoritate, primò Marſchalcus Slonimenſis, poſt Caſtellanus Mſciſlauienſis, ac tandem Palatinus Parnauienſis, à D. Sigiſmundo eſt creatus. Felix tum ſæculum, cùm meritis honores reſpondebant, nec dignitas cedebat, pecuniæ, Virtus generi, ingenium ſocordiæ atque negligentiæ, Veritas aſſentationi! Sapientiſſimum Regem, qui gradum ad honores ampliſſimos Virtutem volebat eſſe, non genus, merita non pecuniam. Mitto hîc Fratrem Tuum germanum, Hieronymum Conſtantinum, quem ipſa inuida non dimiſit, ſed quaſi florem nondum in dulciſſimam Patriam meritis maturum, obſequiis Palladianis (s primo in Academia Cracouienſi, in Regno Poloniæ Pietatis & Religionis Magiſtra, Eccleſiæ Dei & Reipub. Polonæ ſeminario, ſedis Apoſtolicæ Romanæ Cultrice; poſt in aliis celeberrimis Variarum gentium nationumque Scholis) addictum manci-

s Ex literis Laurentii Goſlicki Epiſc. Culmen. ad Sixtum v.

mancipatumque acutâ falce demessuit. Hic quanta suæ diligentiæ specimina, futura magnæ sapientiæ indicia, in ætate adhuc teneriore ediderit, magnus Eloquentiæ buccinator, alterque Cyneas Ioannes Cynerski Præceptor suus fidelissimus olim prædicauit, nuncque prædicat? Quàm ex abstrusis Logicarum disputationum latifundiis deducta tela, Achillesque contra suas Theses fabricatos fortissimos, fortiter sustinuerit, in Principe Vrbium Cracouia, Senatus Academicus comprobauit, & nunc commemorat. Magno Vsui fuisset hic suæ Patriæ, si illum melior tranquilliorque non inuidisset, ac non eripuisset nobis Patria. Neque tamen eripuit, sed illum in te Heros Inclyte Fatis quibusdam occultis, vt in Paternarum suarumque virtutum non modò herede, verùm etiam æmulo medius fidius asseruauit. Iis tu quibus ille imbutus disciplinis, iis innutritus sapientiæ exercitamentis variis in Academiis cùm esses, iam Paludamento Militari indutus bello erudiendum & inaugurandum animum Tuum pro Patriæ salute, Maiorum Tuorum incitatus Heroico exemplo vestigia prehendisti; Vidit Te non Equitem modò nobilissimum, sed præclarum Ductorem, Tui ordinis fato suo aliquando funeranda Russia, quando gladio Sarmatico, hastâque concursoriâ hostili de corpore fluenta cruoris

 edu-

educebas, & purpureus alieno sanguine tot capita perduellis, & barbaræ gentis demetebas. Non vna Te acies contra Scythas decertantem, non vna rebelles Kozakorum turmas ad officium & obsequium Patriæ conspexit reuocantem. Dux Tibi & fortunæ tuæ administra, Regnorum conciliatrix, Amorum nutricula, Gratiarum Parens, sceptrorum domina, Regalis penè adfuit prudentia,; quæ Te non dicam Vlyssem, sed Achillem Sarmaticum præclare gestis nobilem remotis concedit Regionibus. Non progenerauit, Te generosa Tua Gentilitia Aquila imbellem columbam; sed fortem fortibus, bonis bonum. Ita Te efformauit, vt non nisi ferreo generositatem Tuam calamo viuo hostium fidei, & Patriæ, corio inscribere noueris. Habeat sibi suam Iupiter fabulosam Aquilam ministram, illamque fulmine ad terrorem armet: Vestram Aquilam Polubinia Domus, armis quisquis suspicit instructam, si ciuis est, Patriæ gratulari, si hostis fidem cum obsequio colere debet. Sydera continuo volatu petit? nunquam magnis defessa laboribus: Aére libero gaudet? libertatis auitæ porrigit indicium! Sensêre Leones Suetici huius Alitis fortitudinem; & si rursus audeant, sentient. Sensit Luna Otthomanica, dum barbara toties ipsius cornua indefessa transuolauit: Perfida ipsa Moschouiæ Aquila, etsi Polubinianæ videa-

videatur concolor, ac æmula, imparem tamen ſe toties confeſſa, Polubiniano non rarò fugata robore. Aiunt naturalium rerum accurati indagatores, Alitûm Reginam Aquilam cum immani ſæpe dracone bella gerere conſueuiſſe; ſolamq; ex volatilibus nunquam tangi fulmine: Hoc veriùs de Polubiniana dicendum exiſtimauerim. Quæ quotquot hoſtes Patriæ, ſæuos tot Dracones habet; quotquot verò hoſtes habet, tot cum indefeſſa & intrepida rigidi aggreditur Martis certamina. Et cùm ſeſe his in certaminibus, ſuumque generoſum pectus pro Aris, & focis opponit fortiſſimè, horridis ingentium tormentorum fulminibus haud quatitur. Ipſa imò hoſtes ſuos velut trochilos, è ſublimi tela iaciendo, concutit, proterit, nec non dilaniat. Concutit, quia roſtrata, proterit quia ſoleata; dilaniat, quia vnguibus obarmata. Habet roſtrum acutum, quo concutiat; Habet ſoleam ferream, quâ proterat ac conculcet. Expandit vngues aduncos, quibus dilaniet ac dilaceret, non amantiſſimos ciues Patriæ, ſed infenſiſſima fidei Nominique Polono portenta. Priſcos Reges Perſiæ locò ornamenti in pectore ſoleam geſtâſſe Veneranda peracti ſæculi teſtatur antiquitas: At hæc Aquila, ſuâ non ornatur ſoleâ, quin armetur; nõ armatur quin ornetur: non armatur; nec ornatur quin contra hoſtes exarmetur. Atq; ita exar-

matur; vt nunquã vel in lubrico titubans sẽper hostiles animos, & vel effuso sanguine erubescendos proculcet fastus gloriæ. Equidem hæc vestra solea, plura feliciter suscepit, feliciùs gessit, felicissimè toties confecit, cum hoste prælia, quàm acutum Praxitelis celte, aut Lysippi vel Phidiæ stylus pugnas Lapitarum, Centaurorumque suis in soleis quondam descripserant. In cassum tu quoque Iacobe Tertie Rex Scotiæ iactâsti, quam gestâsti soleam, cum Epigraphe: Ornat constantia Reges. Nam multis parasangis distat tua, à Polubiniana, solea. Non eo inficias Tuam locò clauorum gemmis pretiosis, auroque adornatam fuisse: At Crucem illi adfuisse, quam gestat Polubiniana, eo inficias. Est omni auro pretioso gemmisque Crux pretiosior: Et quod aurum gemmæq; præstare nequeunt id, ipsum Crux facillimè, præstat & tuetur. Apage iam hinc inimica sanctæ Cruci turba, & illam diris deuouere desine. Apage, scelestissimaque ora, quibus maledicta tua, blasphemaq; verba in Crucem sanctam euomis, comprime. Priùs adhæreat lingua tuis faucibus, quàm malè de illa loqui inceperis: Priùs rabies, furor, iraque mentem tuam occupet, quàm aliquid sacrilegi in mente tua, contra Crucem sanctissimam, volutaueris. Nihil hîc vestræ mentes spuriæ, nihil voces impiæ; nihil ora blasphema dedecoris Cru-

ci

ci ſanctiſſimæ queunt aſpergere. Sed quid mihi cum hac fæce, quæ peſſima ſectatur, & meliora reprobat? Tua tua Heros Magnanime in ſecretioribus mentis Tuæ receſſibus Crux vigebit: dum auitam fidem, pietatemque, quàm ſuſcepiſti ſemel, nunquam dimittes. Perennabit Tua forti in pectore perduellis hoſtis proculcans pectora ſolea, Quam à Maioribus Tuis Clariſſimis ſtatim cum lacte hauſiſti: dum colla hoſtica ſtylis ferreis confodies. Volitabit æternùm Cruce ſoleâque ſignata, & inſignita Tua Aquila, quæ Romanum non Moſchouiticum (vt nonnulli) nidum habuit: dum per altum gyrans vaſti orbis àëra extremos ad Indos vsque nomen glorioſum, factaque Tua fortia tranſmittet, ac immortalitatis faſtis conſecrabit.

Sed ad tantam quoque Tuæ Gentilitiæ Aquilæ Maieſtatem & Cruces Sapiehanæ acri telo exacutæ veniunt. Et cur cum Hymenæo venire dedignarentur, quæ priùs Caſtam Lucinam ad Genethlia Tua ſequi haud recuſârant. A quo enim tempore Illuſtriſſima Parens Tua Zophia Sapiezanka, Illuſtriſſimi Nicolai Sapiehæ Palatini Mſciſlauienſis germani Fratris Leonis Sapiehæ Vilnenſis Palatini ſummi Ducis exercituum Filia, Tuo Illuſtriſſimo Parenti Conſtantino, ſacro Matrimonii eſt ſociata fœdere, ab eo, inſignia Sapiehana in domo

vestra, suam locârunt stationem, Egregia per-augustæ Domus Sapieharum gloria, vestræ adhæsit Domui; & tot decoribus illustris, ac per fasces, Laureasque deductus sanguis vestro communicatus sanguini. Dixerit non nemo maximos quosque viros, aut Romanos, aut Romæ esse: Dixerit alius eandem sibi Templum, Romanos Senatores videri Reges: Hæc ego veriùs de Sapiehana Domo dixero: Cui idem est virtuti, nominique campus: Quibus pectora pro mænibus, animi pro scuto, exercitata bello Maiorum canicies pro galea; Qui Polonum Lituanumque nomen non tam inuenerunt, quàm virtute, sudore, ac sanguine comparârunt, Nolit ea Lauros, nisi ex hoste ferro excisas. Nolit in manus palmas, antequam gladios, Corona victrices capsiti, priusquàm galeam, aut purpuram militarem corpori ante hostile tabum. Quantos hîc memorem, quos hæc Nobilis Virorum educatrix Domus Sapiehana, nobili Romæ vel opponere possit, vel præferre? Non percurrentur singuli: Nec cùm singulares sint, numerari possunt: Qui vetustatis ipsius etiam fidem fatigârunt; vtpote qui vel ipsa Olgerdi tempora, aut præcesserunt, aut certè adæquârunt. Hîc à plurimis annorum centuriis, quà sago, quà Togâ florentes, & paludati Duces; hîc gloria, hîc fortitudo, hîc omnis amplitudo, hîc posterorum quæ-

quædam cum ætate currens (currat & vtinam) æuiternitas sibi fixerat domicilium. Regio lateri perpetuò assistere, ad Sacram eius esse aurem, Augustæ Regni Maiestati, quà publicè, quà priuatim præire; Rostra & Castra pro libertate, & Regni custodia moderari, Senatoriæ purpuræ esse Reges, Sapiehanæ Familiæ, hereditaria quodam modo fuerunt ornamenta. Hinc à multo tempore inclyta inclytorum passim è Prosapia Sapieharum in Magno Ducatus Lithuaniæ Vrbium Præfecti, Dynastiarum Rectores, Prætores Satrapiarum, Senatores primarii, Excellentissimi Toparchæ, & quod in vna Domo rarissimum, quinque & viginti (præter innumeros Reipub: Officiales & Administros, veluti Cancellarios, Procancellarios Marschalcos Capitaneos) præcipuæ dignationis Palatini: Quatuor Imperatoriâ potestate, & militari peritiâ Viri conspicui. Ioannes Videlicet supremus Cancellarius M. D. L. acerrimi Vir iudicii; & cùm Militiâ bonus; tum Legatione Romanâ percelebris. Alter Ioannes Vsuiatensis Gubernator Castellanus Kiiouien: strenuissimi bellatoris, haud imbellis Filius, terror Moschouiticus, & toto septentrione celeberrimæ illius Troicensis Victoriæ, quâ centum millia Russorum profligata fuère, felicissimus Strategus. Andreas quoque Palatinus Polocensis, bellis Liuonicis, & Victoriâ de Mo-

Simon Starouolscius in præfat. D. claromontanæ

schouitis apud Vendam obtentâ clarissimus. Tum denique ille Vir Martii Nominis & Animi, nunquam Ceruus; neque enim Ceruorum; sed semper Leo; quia Leonum Exercitum sibi suâ humanitate comparabat: Leo inquam Sapieha, supremus M. D. Lituaniæ Exercituum Imperator: qui cùm vtrâque prudentiâ notus esset omnibus, tum ob singularem munificentiam ac liberalitatem (Ecclesias enim plures quàm viginti quatuor erexit, & fundauit. Monasteria, Collegia, Parochias, Commendas per Albam Russiam innumeras cultui Diuino consecrauit) cœlo ipsi charus. Hic sanè iudicio sapientissimi Regis Stephani, præ tot reliquis dignior habitus, quem Curiæ suæ Regiæ tanquam fidum Achatem perpetuò addiceret. Post cuius Regis decessum ad summos in Repub. honores gradatim ascendit, & post magnum illum Lituaniæ Scipionem Chodkieuicium, suffragio totius Reipub. Dux Exercituum M. D. L. fuit declaratus. Quam ille nactus Spartam adeo exornauit, vt rediuiuum crederes in ipso Chodkieuicium. Sed non degener à tanto Parente tantus filius, à Leone Leo Sapieha Vicecancellarius Magni Ducatus Lithuaniæ, Tuus verò Neosponse inclyte Auunculus; æmulatur non tantùm Paterni nominis quia Leo, verum quoque virtutis quia inte-

integerrimus cuius ea est autoritas apud omnes, ea dignitas & vitæ splendor, vt nullius opes in hoc Magno Ducatu Lithuaniæ maiores vnquam fuerint: Et tamen illud, quod Platoni illi Philosophorum Deo, difficilè videbatur, vt summæ opes cum summa virtute, in eodem homine possent esse, ita vtrumque cum summa laude in eo excellit, vt nihil in Regno sit illo ditius, nihil etiam melius. Nam bonarum rerum & literarum ac ipsius doctrinæ ita studiosus est, vt aliud cupere videatur nihil. Opes etiam ipsius non libidinum neque cupiditatum sunt instrumenta, sed humanitatis, virtutis, atque dignitatis singularis. Hoc homine quoniam vehementer nituntur res vestræ Poloni & Lithuani, salutem illi & incolumitatem omnes velle & optare debetis. Quid verò ego ipsius in Patriam Remq;publicam eximia merita commemorem? quid res in Toga & in in Sago gestas egregiè repetam? cum adhuc viua illarum apud omnes exstet memoria. Hic Legationem ad Moschouiæ Principem, grauissimis in Reipublicæ negotiis, ea in ætate, quæ etsi non annis, prudentiâ tamen maturuerat subiit, ac laudabiliter absoluit. Hic Magistratus ea fide administrat, vt quòd in eo desideret quisquam, non habeat; quod verò miretur plurimùm. Adeò vt dum nuper piæ memoriæ Diuus Vladislaus IV. languere se

 vide-

videret, teſtes vltimæ voluntatis ſuæ tabulas non cuipiam ſed ipſi ſignandas tradiderit. Quanta verò in Deum Diuoſque Indigetes pietas eius eluceat, teſtatur ille Zelus, quo permotus fermentum Caluiniſticum conatus eſt Vilnâ eiicere; Teſtantur tot Diuimo Cultui ab eo exſtructæ Peraugustæ Baſilicæ: Tot ſiue aucta ſiue fundata Religioſorum loquuntur Cænobia. Ipſæ Muſæ quas ille cum Iure Ciuili & Canonico exteris ex Academiis euocauit ac Vilnæ in Principe Vrbium Magni Ducatus Lithuaniæ diuite cenſu dotauit & ditauit deprædicant. Non illi quoque ſurdæ ad querelas inopûm aures, nec ad indigorum vota in ſinum repoſtæ manus. Patet aditus ſuccurrendi pauperum & Religioſorum neceſſitati. Multa magnaque, nedum Poloniam verùm quoque ipſam Lithuaniam exercuiſſet vaſtitas illis luctuoſis annis quando à morte Vladislai IV. Zaporouiana Rebellio Ruſſicis Scythiciſq; ſuccincta armis, tot aggreſtes in excidium Nobilitatis armauerat: niſi Sapiehana præſidia in tempore ſubmiſſa retardando hoſtium progreſſus præſto ad fuiſſent. Ille militem de propris lectum ita opportunè bifariam hoſti frenando obiecit, vt & Ruſſiæ Albæ vlteriores Prouinciæ, & propinquior Podlachiæ Lithuania integritatem ſuam illi aut ante omnes aut inter pri- [illegible] debeant. Ille præſidia Bychouiæ fortiſſimo,

tissimo propugnaculo imposuit : ille non exiguam militum bellicosissimorum manū in hoc bello, cum perduelli Koxako ad propulsandum ipsius impetum continuo suocum facultatum suarum dispendio maximò cum Patriæ subsidio fouit asseruauit. Vidit illum propè labascens Orbis Sarmaticus; Vidit Patria contra ferales hostium turmas, inuicto semper animo decertantem: spectauit Casimirus IV. Rex Noster Inclytus dexteram Sapiehanam auitæ non egentem gloriæ ac immortalitatis, Cœloque sacram de tot Scythicæ Russicæq; locustæ copiis triumphantem. Sensit perfidus Kosacus quid Sapiehana domus valeat quid gentilitia Sagitta sit, expertus est, dum toties confixus in acie occuluit. Senserunt & fugaces Scythæ suas Cruces geminas, dum toties vel in acie occumbere vel ex acie decedere turpissime coacti fuerunt. Summa hæc est Sapieharum fateor gloria & illa quæ cœlo ipsi æquanda laudibus. Sed Tua Heros Magnanime vt sanguinis, sic & istius gloriæ ex asse Heres censenda Aquila. Quidquid enim Cruces Sapiehanæ præstant gloriosi, id totum in Te Tuamque deriuatur & descendit Aquilam. Numerantur illi inuicti ex Sapiehana domo (quæ Atlantum Reipublicæ Patria meritò nominatur) Scipiones Lithuaniæ, Nobilissimi Mætelli, Prudentissimi Catones, fortunatissimi Cæsares: Hi om-

 nes.

nes & ſinguli Tuæ domus inclytæ ſunt decora atque ornamenta. Iam hîc ad Thalamum Tuum meus properaret Hymenæus, niſi illum adhuc Oginſciana Crux (in qua tunc Tua primùm conſedit Aquila, cùm Illuſtriſſima Soror Tua Catharina, ab Illuſtriſſimo Alexandro Oginski Caſtellano Trocenſi Dorſunienſi Capitaneo in thori vitæque ſociam cooptata fuit) retardaret Heros Magnanime. Quamuis verò benè intelligam, me haud ſine Ariſtarchorum lituris id onus ſuſcepiſſe; vt tamen à me non commemorata, perauguſta hæc Domus maneat, non patiar. Quorſum, inquiet, quiſpiam Cruces Oginſciorum lucidas Polubinianæ iungis Aquilæ? Horſum, vt qui dubio ancipitique hæret animo, cognoſcat, non ſolùm, quos inter conſanguinitatis Polubinianæ intercedat vinculum; verùm quoque ad quos, & cognationis affinitatisque iura extendantur. Rudis profectò ille eſt cenſendus, qui Conſanguinitatis duntaxat accuratâ perquirit indagine primordia; cognationis verò ac Affinitatis eſt immemor. Eſt Tibi Dux Illuſtriſſime cognata Oginſciorum peruetuſta Domus. Quæ plus quàm ducentis ab annis, his in oris Lithuaniæ bellicæ laudis gloriâ inclareſcit. Siue enim (vt quidam) ab illo tempore, quo Caſimirus III. Iagelonides Magnus Dnx Lithuaniæ in Moſchouiam incurſionē fecerat; Interque a-

Matthias Strycouius ad Annum 1442.

lias

lias Arces, ac propugnacula, Arcem Koziel-
ſcenſem (à qua hæc inclyta Domus, heredi-
taria Kozielſciorum deducit Nomina) expu-
gnârat; & multis bellicoſiſſimis Moſchouiæ
Ducibus, Aquilam Polonam, Equitemque
Lithuanum ſequi perſuaſerat; hæc quoque
Domus Oginſciorum in Lithuaniam ſuam
tranſplantâuit propaginem: ſiue (vt alter) Okolſcius Tom 2.
cum maximi Moſchouiæ Bellatores, ac ipſi
Oginſcii, Tyrannorum Ducum crudelita-
tem deteſtarentur, neque tamen plurimis
beneficiis, promotionibus, honoribus datis
& promiſſis à recto deuiare intenderent,
abiectis, & neglectis omnibus, ad Reges Po-
loniæ, & Duces Lithuaniæ tranſiêrunt. Li-
cet enim Patria, cuique ſit ac eſſe debeat
grata & delectabilis, innodata tamen impie-
tate, & innocuo cruentata ſanguine, vnicui-
que abominabilis exiſtit. Sic Solon pruden- Laertius lib. 1
tiſſimus, cùm videret rerum ſummam eſſe
penes Piſiſtratum Tyrannum immaniſſimum,
ante Curiam Arma depoſuit dicens: O Pa-
tria Tibi & dictis, & factis ſum opitulatus,
ac in Ægyptum nauigauit, vt primùm ita-
que & Illuſtriſſima Oginſciorum, Ducaliq;
in Moſchouia progenita Domus ſanguine,
hîc in Lithuania conſederat, animi ſui gene-
roſitatem, non in latebris occultare, quod
turpe; ſed in acie pro communibus omnium
Ciuium Fortunis probare, quod glorioſum
occeperat, Et quemadmodum ignis in oc-

 culto

culto esse non potest, quin erumpat; aliquando: Ita accensi Virtutis Oginscianæ igniculi, latere nunquam potuerunt, quin sese in publicam lucem semper explicarent. Mittam ego licet exhac Prosapia, antiquitate, & suâ virtute viros clarissimos plurimos; occurrit tamen meis animi oculis, vir armatâ togatâque Pallade commendatissimus Bogdanus Oginski, Trocensis olim Succamerarius, Cormalouiensis, atque Dorsunensis Capitaneus, Præfectus Cohortium S. R. M. sub Stephano Rege olim potentissimo, atque Bellatore fortissimo. Hic ad Gedanum maritimam Ciuitatem illo ipso Rege inspectante, virtutemque illam, ad maiora & pulchriora belli facinora, laudibus, & præmiis amplissimis inflammante, mirum cogitatu, quantum rebus fortiter gestis, aliis, qui militarem gloriam expetiuerunt, antecelluerit. Nam siue cominus, & aperto Marte cum hoste congrediendum erat, primus omnium, atque expeditissimus cum suis Cohortibus Oginscius aderat. Siue eminus molitiones Stratagemate hostium anteuerti oportebat, ille magnâ dexteritate, atque salutari consilio, quid facto opus esset, suadebat, persuadebat. Vt non tantùm egregii militis vices obiuerit; Verùm sapientissimi in Curia illa militari Senatoris munere sæpe numero fungeretur. Fuit Regi Stephano sapientissimus Eloquentiâ Cynæas,

Aiax

Aiax fortitudine. Ventum est ad comprimendam Nalewayconis perfidiosi impune grassantem licentiam: ibi quoque singularem animi magnitudinem testatam reliquit Oginscius: Cùm hostem Patriæ sceleratissimum, acerrimus propugnator, fortissimus audacissimum, capit stringit, ac mancipii instar teterrimi, pedibus Domini subiicit, ac substernit. Missus Lithuanicus exercitus in hosticum fuerat, ac vltra Toropeciam in Moschouia progressus, ad Salesam conflixit: Et hîc Herculeam fortitudinem monstrauit Oginscius. Adeò vt illustris vir Regii in sanctiore Consistorio Consiliarius, & in suprema Regni Gallici Præses Curia Iacobus Augustus Thuanus proclamârit inquiens: Bogdano Oginscio, & Gabriele Holubecone suo nepote sororio rem strenuè gerentibus. Atque cum iam senio confectus esset, velut Eryx alter, hic idem Oginscius, post bella Prussica, Liuonica, Valachica, corpore toto debilitatus, seniculus iam exanguis & pallidus Veteranus; non prius tamen arma ex manibus dimisit, quàm virtutis bellicæ factorumque suorum successorem relinqueret filium. Itaque Alexandro, verè Alexandro nunc Illustrissimo Castellano Trocensi Dorsunensi Rohaceuiensi Capitaneo, ad Smolenscum tunc D. Sigismundo III. pro Reip. incolumitate excubâre, conuocatis sociis, obortis lachrymis vnà cum Claua mi-

Lib. 33. Histor.

litari reddita, Curam Præfecturæ Cohortium S. R. M. commendauit, Hic verò quis & quantus inter maſculæ virtutis Heroas, quibus pretioſo ſudore frontem aſperatam Mars honeſtis cicatricibus depinxerat, fuerit? Vt primùm illum in ſua Caſtra recepit Armorum Deus, ſtatim ſuæ virtutis theatrum primam armorum officinam, quibus ſe exerceat ad Smolenſcum, ratus, florem ætatis ſuæ dicauit & conſecrauit Gradiuo. Eruperat deinde Ottomanicum iam diu celatum virus pectore, & depoſitâ ſimulatæ ab hinc annis amicitiæ, pietatisque laruâ, publico barbarorum furore, validiſſimum Chriſtiani orbis Antemurale petebatur Polonia: dum Oſmanus crudeliſſimus Turcarum Tyrannus, & Chriſtianitatis, nouus quidam temporibus illis Mezentius, colluuiem Aſiæ Vniuerſæ, Lechiæ infunderet: Hic non ſpectator tantùm, ſed bellator ſtrenuus, cum Cohortibus ſuis adfuit Oginſcius. Non illum terror Geticus, non liuor Thracicus, non limes Dacicus, à propoſito bellandi ſtudio auocauit: Non pulueris Martii calamitas, non inuictus Caſtrorum rigor, non æſtus præliorum, non ſtrepitus lituorum, non murmura bellica terruerunt. Mitto bella Liuonica, mitto Pruſsica vt minora, in quibus ille rem geſsit ſtrenue. Plerique quondam domi ſuæ Leones, in campis Moſchouiticis oſtendêre ſe Ceruos: regnante Vladi-

ſlao,

ſlao IV. Impatiens tantæ labis Oginſcius, velut alter Achilles in medios hoſtes proſiliit. Vrbs fuit in Moſchouia dicta Biala, naturâ loci, & artificii opere firma, Moſchico præſidio firmiſsima, ſpes deditionis nulla: Itur oppugnatum; Oginſcius cum ſuis Cohortibus primus vallum conſcendit: Ipſe vexillum, ipſe ſignifer, ipſe tubicen, ipſe Dux, ipſe Miles, ipſe omnia. Ad mænia, ad mænia conclamat, & præit. Et expugnâſſet procul dubio, ſi terra inimica ignes ſulfureos in ſe ſuoſque ſocios, quibus haud pauci aduſti fuerant, non euomuiſſet. Hæc ille multoque plura, quæ loquetur teſtis temporum Hiſtoria geſsit pro Patria Oginſcius: Et modò adhuc licet veteranus (qui Herculis ad poſtem ſua, rude iam donatus Arma ſuſpendit) geſiſſet, ſi digna ſuis laboribus præmia reſponderent. Nihil hic dicam de tanti Herois Magno Filio Bogdano Oginſcio M. D. L. Vexillifero: qui dum Patriæ cadenti opitulari deberet, ipſe fato mortis acerbo occubuit. Tui non obliuiſcar, quia nec poſſum, nec debeo Illuſtriſſime ac Magnifice Domine Martiane Oginski, Trocenſis Dapifer inclyte Illuſtriſſimi verò Neoſponſi, Nepos ex Sorore Perauguſte, inuiderat Patria Nationibus exteris, quæ Te nuper à Laribus domeſticis ex ſui amoribus rapuerant, vt bearentur. At poſtquam Te peregrina littori Sarmatico Nauis

H ex

wysłużony

exposuit, ac Diuina Prouidentia Diis Patriis, Cœloque, Litauo Te reddidit, plurimùm sibi fuit gratulata. Nimiùm quàm fœlix Patria sibi videtur, dum Te in suum recepit sinum atque gremium, & quo tempore Te postliminio ab exteris reducẽ aspexit, suspexit auitisq; honoribus ornare, vt mereris contendit. Ibis Illustris ac Magnifice Domine de Honore in Honorem, Ibis ad Trabeas Paludamenta, Curules, Tuâ Prudentiâ, quam variis in Academiis es assecutus, viam Tibi expeditam sternente, ad amplissimas, quæ Te in Repub. expectant dignitates, Aquilamque Polubinianam Gentilitia Tua Cruce illustrabis.

Sed me hîc à Thalamo longiùs iam progressum, aut veriùs abreptum, quàm vellem video Dux Illustrissime, Redeo, & cæptos Tibi meæ Musæ canunt Hymenæos. Non satis erat Tuæ Aquilæ Clarissimarum Familiarum decorari sanguine, ac Insignibus, nisi quoque & Wolodkiewiciana, sequatur, & assequatur vexilla. Equidem non errauit dũ in hac Domo illustri nidum sibi locauit: Ex qua velut ex Equo Troiano, Viri Martiis Palladiisque exercitati studiis plurimis ab annis prodierunt, atque prodeunt gloriosi, vt enim sileam, quod à Magnis L. D. ex materna linea ducant originem: Cùm Witoldi, germani Fratris Olgerdi M. D. L. Kormultus, à quo Wolodkieuicii descendũt,

Fi-

Filiam Racam in coniugem habuerit ; & ex illa Kormultouicium, Niemiekſza dictum ediderit ; qui poſtea Wolodkum atque Alexandrum, magnos experientiâque claros Milites reliquit. Idem Wolodkus Miles egregius eiuſdem Nominis filium progenuit: à quo poſteri, non Kormultouicii à Kormulto; ſed Wolodkiewicii à Wolodkone nuncupari cœperunt. Ipſa monumenta literarum, horum promptitudinem animi, erga Patriã, tam in Comitiis, quàm in Caſtris teſtatam toties deprædicabunt. Ipſa fama eximios in Marte, veridicos in Senatu ſemper extitiſſe loquetur poſteris. Hoc maiorum ſuorum præclaro excitatus exemplo Illuſtris & Magnificus Dominus Chriſtophorus Wolodkiewicz, cùm non ſemel eſſet ad Comitia Nuntius, Spartã ſuam ita abſoluit; ita Notariatꝰ ſui Terreſtris Minſcẽſis exercet munia; ita vitam cum pietate colit. Vt quod improbes ſit nihil ; quæ autem laudibus efferas, ſint omnia. Huius Tu Heros magnanime illuſtrẽ Filiam, Virginem ſpectatiſſimam, iam in thori vitæque ſociam recipis. In qua genus cũ forma ; forma cum comitate; hæc cum probitate ; probitas denique cum pietate quæ ipſi Patria uirtus eſt) certare videntur. Ita vt neſcires, quid in ea potiſſimùm, vel laudares, vel admirareris. Procul iam illa Lex, quâ apud Polonos, antea nubere nulli fœminarum fas erat, niſi tres prius hoſtes con-

Sim. Okolſcius Tom. 2 in Labęc.

Stephanus Forcaulus in Fœlici Polonia.

H 2 ſo-

fodiſſet in prælio, & ſacra feciſſet ritu patrio: Quia hæc, vt ſuperſtitioſa fuerant ita quoque exoleuerunt cum tempore. Non tres hæc virtutis ſuæ hoſtes, vitia intelligo, confecit; ſed tot, quot pietas expreſſit rectè factorum ſimulachra,

Aſſurge ergo iam Polubiniana AquilaCrucibus Sapieharum, Oginſciorumq; munita; ac in altum euola. Quid hæres? Quamcunque petes mundi partem patet Tibi via. Aquila es, Fulgorem virtutum, ſolis inſtar hauries: Aquila es, Fulmina hoſtium non metues, Aquila es, Iouis, Poloni Monarchæ, Armiger es. Aquila es, Cœlum ipſum vinces. Siue medios velis inter hoſtes, ſiue media inter bellorum fulmina, ſiue inter Heroas, ſiue ipſa in faſtigio mundi illuſtrem tuam collocabis Crucem, atque ſoleam, vexillumque Wolodkiewicianum, ne cunctare. Dies adſint eueniantque veſtris ſponſis placidiores, quàm Xerxi, Fœliciores, quàm Timoleonti, Beatiores quàm Iulio Cæſari. Et Vos Muſæ Pierides audite me precantem: Fœlicitatem à Deo immortali, & ab hominibus optimam gloriam illi præbete Dixi.